NUM DE RATIONE,

QUAE INTER

TACITUM ET PLINII HISTORIAS INTERCEDAT,

RECTE NISSENIUS JUDICAVERIT, QUAERITUR

TRACTANTURQUE EANDEM QUAESTIONEM SPECTANTES DUO LOCI,

QUI SUNT IN TACITI HISTORIARUM LIBRO ALTERO.

SCRIPSIT

W. DIECKMANN.

DISSERTATIO INAUGURALIS AD IMPETRANDOS EX UNIVERSITATE LITERARUM ROSTOCHIENSI SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES.

Druck von C. L. Schrader, Hannover.

Inter omnes auctores, qui res Romanorum memoriae prodiderunt, ut plurimum admirationis, ita parum fere religionis fidem originemque examinantis Tacito contigit; quippe cujus gravitas singularis prae se ferre videretur auctoritatem. Nec inde mirum id quoque scriptori a viris doctis vindicatum quandoque esse historicae artis quasi columen, quod optimo quoque subsidio adhibito, rejectis deterioribus dubia firmat, incredibilia rejicit, probabilia eligit, cetera denique in medio relinquit. Nempe ipse imputare videbatur scriptor hanc scribendi rationem: qui operis historici saeculum fere complexi utramque partem magnifice orditur neque gratia se cujusquam neque odio moveri affirmando, incusando etiam scriptores servili adulationi seu turpi malignitati obnoxios. Satis habebatur haec ac talia de se professo fidem haud cunctanter habere; quod eo fiebat promptius, quo modestiora antiquitas reliquerat ad rationem scriptoris examinandam subsidia — perdita praeter rara quaedam monimenta ubere quam aetas illa tulit artis tradendi res posteris segete. Ac minus quidem invida in Livio usi sumus fortuna; qua ille ratione magnam historiarum partem e Polybio hauserit, dudum statuerunt viri docti: Tacitum dijudicaturis praeter unam nihil relictum est quasi ancoram eamque novissimis demum temporibus ad quaerendum noscendumque operae ejus velut imum vadum adhibitam. Praebuit hanc Plutarchus opportunitatem. Nam vitae Galbae Othonisque per continuam narrationem ab eo compositae complura mirum in modum cum Tacito congruentia continent. Qua de re postquam homines docti varie disseruerunt, eam huic consensui vim Mommsenius tribuit, ut ex uno fonte cuncta fere utrumque scriptorem hausisse contenderet; nec enim alterum in altero subsistere ullo modo probari posse demonstravit, quamquam ne ea quidem opinio intacta viris

doctis remansit, incredibilem tamen, si lectos comparaveris, speciem praebitura. Nuperrime eadem de re scripsit Nissenius; qui consentiens cum Mommsenio de principiis dissentit de auctore, qui praecipuum exemplar praebuerit. Quam dissertationem (typis descriptam in novi musei rhenani parte 26^{ta})* — intulit enim prima sine dubio novae aliquantum lucis in quaestionem nimis obscuram — quam diligentissime prae ceteris examinare operae pretium erit.

Primum ubi de narrationis Plutarcheae origine Nissenius disputat, non ita multum velim dissentire. Scripsisse Plutarchum Domitiani temporibus obque id ipsum nullo Taciti usu optimis argumentis cum Mommsenio statuere mihi videtur. Jam non tam vitas rite compositas, quam excerptas ex historiarum quodam volumine diligenter elaborato idque fuisse latinum. inter utrumque virum doctum consensio est Mommsenio e scripturae natura illud profusius, Nissenio hoc probante collatis plerisque locis latinum exemplar prodentibus.**

Quousque verbum de verbo Plutarchus expresserit, id certe nobis occultum: hoc tamen viris doctis libenter concesserim, non multum in reddendo sensu Plutarchum videri errasse; quin etiam, quod non emendam domum Othonem, ut apud Tacitum et Suetonium, sed emptam obtentui sumpsisse in Plutarcho (P. G. c. 24) legitur, neque hoc unum „ἑωνημένος“ leviter fortasse mutandum in „ὠνούμενος“ ita magni existimandum arbitror et ne alibi quidem (v. c. in certamine Batavorum et gladiatorum, P. O. c. 12), ubi de sensu errasse Plutarchum Mommsenio auctore Nissenius putat, quia a Tacito discrepet, Plutarcho vertenti magis quam fonti ejus narranti diversam a Tacito narrationis formam, sive dicendus est error, tribuere velim.

---

* Inveniuntur in dissertatione Nissenii ceterarum omnium tituli.

** Unum tamen hinc eximi velim, qui est in Galbae Plutarchei capite 24: ἐν δὲ τούτοις Οὐετούριος καὶ Βάρβιος, ὁ μὲν ὀπτίων, ὁ δὲ τεσσεράριος· οὕτω γὰρ καλοῦνται οἱ διαγγέλων καὶ διοπτήρων ὑπηρεσίας τελοῦντες: quo loco Nissenius Plutarchum reprehendit ut rei militaris ignarum. Equidem turbatum vitio librarii verborum ordinem sic posse restitui crediderim: ὁ μὲν ὀπτίων, ὁ δὲ τεσσεράριος διοπτήρων (speculatorum)· οὕτω γὰρ καλοῦνται οἱ διαγγέλων ὑπηρεσίας τελοῦντες.

Nec speciem scripturae operosam minime Plutarcho, sed auctori ejus tribuere dubito. Recte Nissenius hanc tam religiosam diligentiam non convenire scriptoris moribus alias cognitis dicit. Exempla exhibet complura colligendi controversa industriae nequaquam Plutarcheae. Bis vel nomina auctorum ex fonte fluxisse opinatur; quod utrumque concedo, quamquam non mihi persuaserunt Nissenii causae, hanc tamen opinionem magis quam contrariam rerum scriptorisque naturae convenire ratus. Ea certe causa festinati proelii Betriacensis, quam ex moribus Othonis petitam a scriba ejus Secundo Plutarchus memorat, quoniam eadem apud Romanos scriptores, apertior in Suetonio, neglectior in Tacito invenitur, latinum historiographum rei simul auctorisque praeconem habuisse videtur. (cf. Pl. O. c. 9.) Etiam cujus facti testem Plutarchus Cluvium Rufum adhibet, repetitum ex fonte, sive is fuit ipse Cluvius sive alius, auctoris nomen veri simillimum puto: firmari enim rem necesse erat testimonio Cluvii, qui temporibus illis citeriori Hispaniae praepositus quibus nominibus subscripta eo pervenissent diplomata optime noverat; sed quod Nissenius argumentatur, abrogari fidem Cluvio ab omnibus scriptoribus singularem illam diplomatum subscriptionem referentibus, id minime certe hoc loco ad rem convenit. (cf. Pl. O. c. 3.)

Ceterum de re hactenus ita cum Nissenio consentio: apparere e duabus illis vitis Plutarcheis naturam fontis quantum fieri potest apertissime exigique posse quasi ad hanc regulam, quatenus in hac rerum gestarum parte alius quivis scriptor idem exemplar secutus sit; ostendi denique auctorem inde nullius laboris impatientem viliumque vel nimium rerum curiosum: quae omnia ex argumentis Nissenii colligi profecto possunt.

Sed quae statuit deinde de Taciti historiarum libris duobus prioribus ad hanc regulam revocatis, minime probare velim. Sequitur Mommsenium, qui primus tantam utriusque scriptoris congruentiam esse putavit, ut clarissime, si modo comparaveris cum Plutarcho, universam Taciti, qua res composuerit, rationem possis pernoscere fidemque dijudicare. Idem exemplar Tacitum tantum non descripsisse mutatis

scilicet seu omissis, quae ipsi displicerent. Ea proinde quo consilio immutaverit, varias singularum rerum causas viri docti afferunt magis minusve e scriptoris natura et conditione vitae satis cognita petitas. Certe singulari ingenii acumine, cur ubique a fonte Tacitus abscesserit, Nissenius explicare conatus est. Verum quo plura et graviora haec attulit, eo paucioribus rebus vilioribusque pendere Tacitum revera e Plutarchi fonte, hoc invitus vir doctus eadem via subdemonstrans suum ipse fundamentum magis sensim magisque labefactat: immo si huc addideris quae unica Taciti inveniuntur, haud scio an propria illa quoque habiturus sis pro libere ac temere mutatis retentisve. Assentitur Nissenius Mommsenio quamvis moderans, pertinere usque ad minutissima narrationis ornamenta, ad figuras orationis sive conformationes rhetoricas, quantopere Tacitus exemplum usque sequatur; — quid vero si ad sola haec atque talia? Multo certe majora et graviora illa sunt, in quibus hac vel illa de causa desertum a scriptore suum fontem viri docti profitentur quam haec ipsa, ubi vel in oculos incurrit similitudo. Vix quicquam invenias inter locos studiosissime a Mommsenio et Nissenio utrimque collatos, quod non extra rerum ordinem causasque narretur.

Ordine hic fuerint exponenda gravissima quaeque narrationis utriusque momenta, quotiesque et quantopere causae rerum alterutri scriptori placitae ab altero differant demonstrandum. Sed longum est omnia persequi, nec ulla erit, nisi quis ipse singula quaeque attente pervestigaverit, persuasio. Id vero sine dubio imprimis cavendum, ne confestim desertorem Tacitum habeamus, antequam ejusdem omnino, quem Plutarchus sequitur, sciamus quasi verbis obstrictum. Notanda velut memorabilia ea potius sunt, quae communia huic cum illo, adeo non judicandus alioquin, tanquam laxare interdum conatus qualia ne consilio quidem illius convenientia nedum omnino fuerit passurus vincula. Sine dubio ab adoptione inde, qua Galba Pisonem accipit, usque ad mortem Othonis complura medio tempore gesta eodem nugarum genere, iisdem dispersis graviter sive memorabiliter huic vel illi dictis apud utrumque scriptorem exornantur; sed congruunt vix ultra hunc modum, quae de T. Vinii adolescentia, de ferali Galbae

sacro, de conjuratione patrata Othonis, de Galbae interitu, de Othone aegre per principatum coërcente seditiosos militum animos, de proelio Betriacensi Othonisque morte, denique de turbis Vitellium attollentium similia ab utroque inter diversissimas rerum causas memorantur. Ne id quidem spernendum, quod, sicubi Tacitus sententiarum discrepantias confert, rarissime eaedem apud Plutarchum collatae inveniuntur. Praeterea quaecunque ex fonte hujus ille conquisivit, ea aperte — quam rem ne praetermittit quidem Nissenius — contraxit mutilavit, quippe qui suo rerum ordini haec atque talia accommodaret; ceteris vero Taciti propriis totius operis quasi corpus animamque contineri facile intellegitur. Sua Tacitus consilia exposuit, non alienis adaptavit. Hoc potius principio si consideraveris, quaecunque de factione Taciti male inter scribendum dissimulata Nissenius disputat, vereor ut adprobes. Othoni cur nimium obtrectaverit, neque causam neque odii vestigium manifestum ullum invenio: nisi forte, quod soceri matrem occiderint illius absentis milites, causam habeas, quae scriptoris gravissimi integritatem corruperit. Objicit Flavianis scriptoribus favorem partium; nec vero auctorem aliquem Taciti praecipuum nominatim his verbis perstringi indicium extat ullum. Frustra, cuinam parti apertius Tacitus faverit, inquisiveris cujusve potius quam suum judicium incorruptum ostentare legentibus voluerit.

Elucet ibi vel maxime liberum Taciti judicium, ubi rem ambiguam, fuerintne militibus ante pugnam Betriacensem paciscendi illecebrae satis validae necne, dijudicans a Plutarchi auctore dissidet. (cf. Tac. hist. II, 37 et 38; Plut. Otho 9.) Mirum sane, quod contrarium probare sibi videntur Mommsenius et Nissenius, ut, quantopere totus pendeat Tacitus e fonte Plutarchi, ex hoc ipso loco appareat — (non praeter hunc alium illi auctorem ullum, quam „quorundam“ sententiam nominet, suppeditasse, ut aut finxerit Tacitus — quod Mommsenius putat mirum in modum quod legitur in Plutarcho: „ἑτέρων δὲ ἦν ἀκούειν“ interpretatus — „quosdam“ illos auctores aut notitiam saltem eorum ex uno suo simul Plutarchique fonte sit adeptus) —, argumento nullo, nisi quod iisdem exemplis suam uterque scriptor sententiam commendet.

Sed consideraveris modo, qualis sit illa controversia, quam creberrime motam tum fuisse recte Nissenius conjicere mihi videtur: orta per varias hominum inclinationes dissensio, ut quis incusaret Othonis familiares dolosius quam inconsideratius in proelium cladem que ruentes sive excusaret, mox ubi refrixerant odia studiaque, cum quod verum esset parum pernotuisset, vertebatur in rerum humanarum contemplationem, cum quid quibusque conditionibus petere fugere soleret quae esset hominum natura, oppositis per altercationem causis, quae oblaturae tum fuissent quaeque sublaturae paciscendi facultatem, his in vicem illis varie dissereretur. Promptissima in communem talia disceptandi usum exempla aderant ex comparatione memoriae Romanae armis civilibus refertae petita. Magis hinc auctor Plutarchi, minus Tacitus ingeniis hominum, qualia plerumque inveniuntur, fiduciae tribuit. Praesto quin fuerit Tacito, cum haec tractaret, inter plures quos nominat Plutarchi quoque auctor, nequaquam oportet dubitare; sed solum hunc respici non est cur putemus. Quid enim prohiberet Tacitum, quominus — quod saepius fecit — nominaret quem unum praecipue refelleret scriptorem? adeo cur multiplicaret nullo rei usu? quid, quod deest Plutarcho res cognita Tacito, quod hoc quoque traditum sit, destinatum imperio tum fuisse rumoribus militum Suetonium Paulinum? quod, si memoratum auctori suo Plutarchus invenisset, non facile omisisset neque Tacitus memorasset, si aliunde compertum non habuisset. Ceterum illa antiquitatis exempla, quibus uterque utitur argumentis, tam volgaria fuisse, ut quivis repetere ea posset temporum scriptor, testis est alius Taciti locus (I, 50) aptior quodammodo, qui comparetur cum Plut. Oth. c. 9, quam is, de quo loquimur. Bonos quidem cives conquestos esse de moribus aemulorum principum profligatis facile Tacitus pro vero accipit; neque vero passuros fuisse exercitus ducesque „magna ex parte luxus egestatis scelerum sibi conscios nisi pollutum obstrictumque meritis suis principem“, neque pacem honestam illos potius quam meliorum antea imperatorum exercitus molituros: quippe quos caeca semel rabies ad decertandum tulisset. Quare ne id quidem recte Nissenius argumentari mihi videtur, quod nihil

novi Tacitus in controversiam afferat. Plane autem vaga ea forsitan habenda sit sententia, contradixisse Tacitum opinioni contrariae eo consilio, ut Othoni obtrectaret sive rem proderet, quae Secundum amicum suum auctorem haberet. Neminem id Nissenio daturum puto. Suam rerum humanarum philo sophiam quemadmodum clam apertiusve ostentare amat in annalibus postea scriptis, ita palam hic, ubi occasio data est, defendere scriptoris interest: adeo non, ut augeat minuatve hominum quorundam nobilium decus sive dedecus, humilibus artibus Tacitus indulget.

His aliisque documentis satis patefieri existimo, quantopere, quotiescunque similia inveneris Taciteae Plutarcheaeque quasi membra scripturae, universum tamen corpus alterutrum ab altero differat. Sine dubio — quod identidem Mommsenius et Nissenius asseverant — duorum ex uno diversum finem spectantium cernitur collectio, sed ita, ut alter excerpat, alter eligat. Fuit secundarius Tacito fons, quem praecipuum Plutarchus habuerat, unde rerum nexum ordinemque hic repetivit, ille nugarum figurarumque affluentiam quasi degustans decori copiaeque sui sermonis adaptavit. Jam si quaeras: quis tamen praecipuus Tacito fons fuit? exiguum respicientes eorum, quos fortuna e ruina servavit, librorum numerum nescire fateamur necesse est. Nec, praestiteritne omnino unus e scriptoribus hunc Tacito usum, magis pro certo haberi potest: quos hic illic nominatos silentio plerumque eripiatne oblivioni an praetermittat incertum. Frustra ubique fere exerceas in vestigiis eorum eruendis vel summum ingenii acumen, nisi forte abditissima quaeque seu ficta promere gaudeas. Livium si peracta jam pridem saecula duce optimo illorum temporum scriptore retractasse videmus, num idem de Tacito aetatem vix defunctam vel ipsius memoriae inhaerentem literis mandante pro certo habebimus? Quaerendus sit plerumque vetera perscrutantibus, cui uni prae ceteris omnibus fidem habeant: quae prope ipsi vidimus atque audivimus, quis tam caecus erit ac surdus, ut per opuscula potius scriptoris alicujus laboriosa, quam suis oculis sciscitandique tam recentia artibus non reconditis cognoscere velit atque intueri? Minime Tacitum tam fuisse

inertem codicibusque potius quam vitae deditum crediderim; quem usque ad aetatem virilem publicis muneribus actionibusque functum tum demum Clius favorem expetiisse videmus. Sine dubio scriptores legerat celeberrimos eorumque per dubia sententias contulit. Qua industria profecto opus erat etiam intentiore, cum antiquiora postea tempora annalibus mandabat; sed ne in historiis quidem suae aetati propiora permeans quae praesto erant scripta neglegebat, immo ubicunque usui fore putabat ad orationem ornandam sive nexum conficiendum adhibebat. Sumebat fortasse ex hoc potissimum apparatum, ex illo — quod cuique ingenium — rerum magis ordinem nexumque causarum, ipse denique colorem adjecit vividumque velut spiritum; opusque confecit suis partibus concinnum neque quod ita facile, ut quaeque hinc vel illinc orta putaveris, dirimas distinguasque. Archivalia studia — rem recentissimae disciplinae — familiaria ei fuisse nemo certe putabit; — neque imputat ipse Tacitus perpetuam talium curam —; sed identidem professo, „alios“ se auctores, — „quosdam“ — „plerosque“ — denique „celeberrimos“ contulisse, consensum se illorum vel potissimum quemque sequi, non est cur fidem abrogemus.

Verum secundarium quendam fontem Taciti erui posse e Plutarcho profecto concessimus; idque ea vel maxime fide, ut, quae Plutarchi fonti Tacitus debeat, certum ad finem, si modo moderaveris, discerni etiam ultra partes illas congruas eximique ceteris possint. Multaque cum subtilitate Nissenium hac opera functum videmus; neque eum errasse de auctore existimo, sed quantum potis est in verum conjecisse. Causas vero, de quibus C. Plinium hoc praebuisse exemplar demonstrat, non omnes quidem — minime vero quas e partium odio vel gratia petit —, has tamen probare velim: primam quod C. Plinius inter eos auctores est, quos pro parte librorum tanquam potissimos suos ipse Tacitus nominat; alteram quod auctoris Plutarchei peritia quaedam municipiorum incolarumque Padanorum C. Plinii patriam laudesque interdum Verginio Rufo tributae familiaritatem ejusdem haud obscure indicare videntur; postremam hanc, quod C. Plinii nimia fere sedulitas e naturali historia cognita formam Plutarchi narrationi prae-

buisse videtur illam parum Plutarcheam, quae Tacito, non dico fundamento, sed supplemento multifariam esse potuit.

Recte etiam de Vipstano Messala judicare mihi videtur Nissenius; quem non fuisse vitalem ex Plinii junioris epistulis, ubi non rara nequissimi ejus fratris Reguli, nulla vero fit mentio ipsius Messalae viri honestissimi, satis apparet; commentarios vero militares juvenem civilia bella expertum composuisse probabile est neque occultum nimis ubique, quidnam ex eo Tacitus hausisse videatur. Jure quoque a Nissenio Mommsenium de Cluvio Rufo suspicantem refutatum esse censeo; nisi quod lectum esse a Tacito ejus librum negare non ausim, quippe quem postea in annalibus componendis compluribus locis assumpserit. Nec locos quosdam historiarum initii suspicionem de hoc auctore movere negaverim; qualis est, ubi de Verginio Rufo Tacitus verba facit apud Germaniae exercitus imperium recusante: cui non sicuti Plutarchus constantiam immobilem tribuens haesitasse eum paulum potius opinatur: „dubium an imperare noluisset; delatum ei a milite imperium conveniebat.“ Dicta quidem haec esse e Cluvii Rufi sententia majore non jure negari quam asseri potest. Scimus quoquo modo offensum in Cluvii historiis Verginium veniamque aliquando ob id ipsum ex eo petitam; — quae historiae, siquidem non multum excesserunt, quam praecipue continebant, Neronis aetatem, quod potius Verginii factum leniter perstringere poterant quam destituto Nerone in Galbae partes accessum nimis lentum? — Ceterum non hoc fuisse Plutarchi Verginii virtutem admirantis exemplar, hoc vel ipsum Cluvii quamvis non infensum de Verginio judicium suadere videtur: quamquam et illius auctori et Tacito bene notum fuisse opus Cluvianum nequaquam ideo minus fit probabile: quod non omni usque rerum expositioni adhibitum esse res ipsa fert. Nihil hac quidem de causa mirum, quod, quaecunque de moribus et persona ipsius Cluvii Tacitus memorat, minime ea quasi suppeditatorum a Cluvio speciem praebent. Videatur id paulo incredibilius, neglexisse Tacitum, ubi de pacto loquitur inter Vitellium et Sabinum, Cluvii, qui ipse interfuerat, auctoritatem; sed vix hoc obtinuerit Mommsenius adversus Nipperdeium, diu superstitem Cluvium

fuisse anno 69mo p. Ch. n.; cujus quidem exemplum quasi modo defuncti proximo anno propositum esse ad imitandum ab Helvidio in senatu perorante Tacitus auctor est. Itaque morte repentina praepeditus mihi esse videtur senex ille rebus aeque ac literis permixtus, quominus ultra Othonis principatum curas suas produceret; ne hactenus quidem pro certo haberi potest eum pervenisse: nam quod Plutarchus de Othone tradit (v. pag. 5) ut Cluvianum, id sane auctor ejus sermone familiari comperisse poterat ex Cluvio tanquam homine illius facti teste; nec posthac usquam commemoratur scriptum Cluvii testimonium. Quare optime Nipperdeium conjecisse puto, qui ineunte jam anno 70mo mortuum fuisse Cluvium leviter mutatis duabus literis ex Tacito probat; profecto discessu Cluvii vacua non fuerat provincia, quam absens rexerat (T. Hist. II, 65); nec, nisi vita decessisset, qua de causa adempta foret viro omnibus ita partibus accepto, ut inter secretissima pacta adhiberetur, quem etiam in senatu Flaviano laudibus Helvidius cumulavit (Hist. IV, 43), facile intellegi potest (cf. T. Hist. IV, 39).

Cui placet Nissenii sententia, Tacitei Plutarcheique consensus originem esse existimandam C. Plinii scripturam, is hoc quoque facile Nissenio dabit, usui fuisse Tacito universum Pliniani operis corpus: quem videlicet auctorem inde a tempore Neroniano usque ad certamina Vitelliana Tacitus nominatim laudat; quae temporis spatia diligentissime a se pervestigata esse ipse Plinius testis est; nam et saepius, quae ex Neronis temporibus scripserit, in naturali historia commemorat et, quoniam in praefatione se celebrasse eodem illo opere profitetur Vespasianum liberosque ejus, fractae Vitellii potentiae auctorem se indicat. Itaque quod medium fuit inter utrumque tempus, Galbae imperium, bellum Othonianum, cetera denique omnia, de quibus est inter Tacitum et Plutarchum consensus, quin comprehensa fuerint Plinii historiis, dubium non est. — Verum non fere his plura in voluminibus illis infuisse, haud scio an suspicari liceat. Quo solo loco laudatur Plinius in priore Taciti annalium parte, ibi non ut historiarum Romanarum, sed ut Germanicorum bellorum scriptori memoratum quid illi inseritur. Contra bis idem habetur

in principatu Neronis describendo imprimis cum Cluvio et Fabio Rustico comparatus (cf. Ann. XIII, 20, ubi optima est Nipperdeii conjectura, ut Tacitus „horum“ se auctorum consensum sequi dicat). Praeterea ad Claudii exitum produxisse Aufidium Bassum historias suas a viris doctis conjectum est. Equidem, quae nullo titulo nisi „a fine Aufidii Bassi“ in Plinii junioris epistula libri IIIii 5ta nuncupantur, altius vix quicquam repetiisse crediderim. Nec minus stetisse C. Plinium in Vitellii morte verisimile mihi videtur; anno enim circiter 77mo cum erga Titum professus sit, pro herede jam pridem, quae de illo familiaque ejus scripserit, seposita esse, recentiora ibi quam de Vespasiano verum potiente, adjuvante Tito, periclitante Domitiano infuisse non est cur quis putet. Id quoque hanc conjecturam firmare videtur, quod Plutarchi vitarum principum Romanorum tituli in Lampriae catalogo enumerati in Vitellio desinunt. Scripsisse igitur eo consilio putandus est libros 31 doctos et laboriosos homo religiosissimus, ut saevissimis flagitiis labans tandem Juliae domus imperium, motibus deinde intestinis paulatim surgentem firmari incipientem provenientemque Flavianam fortunam tanquam novi rerum status principium uno opere complecteretur.

Inde manifestum evadit, quam exiguae Taciti librorum parti hic scriptor subsidio esse potuerit: cujus certe e rerum copia usque quid per hoc spatium Tacito affluebat, quod suo quidque loco inseri quemadmodum curae scriptori fuerit, sine dubio priores duo historiarum libri pro sua parte testes sunt. At scripsisse Tacitum scimus usque ad Domitiani exitum; qua re finem fecit tam longe citra quam ultra Plinium annalibus initium; nec multum excessisse tertium historiarum librum usus, quem e C. Plinio percepit, putandus est. Qui Plinio finis fuerat, inde Tacitus primum suum majora literis mandandi progressum cepit. Ac fuit quidem tempus illud alterius in fine alterius principio positum quale coloribus acerrimis ipse describit in exordio Tacitus, dignum profecto accuratiore et rebus et personis adhibenda diligentia. Quare vel maxime ipsum per hoc spatium materiam sibi ex Plinio collegisse Tacitum probabile est. Operae pretium fuerit unum afferre exemplum quod, quanto hic accuratius quam in annalibus

Plinium sequatur Tacitus, ad oculos demonstrat. Plinius — si quidem in Plutarcho inest illius narratio — subditum fuisse obtentuique sumptum Othonem a Nerone Poppaeae nuptiis narraverat; quod quamvis obiter, aperte tamen in historiis adprobat Tacitus; cum longe ab hac fama discedat in annalibus, ubi ne mentione quidem Plinianae opinionis injecta ultro per dolum Othonis raptam Poppaeam, cum nupta ei aliquantum temporis fuisset, tum demum notuisse Neroni, placuisse, in Othonis denique exilium evaluisse pro certis memorat. Quem ne tali quidem in dissensu tanquam diversa prodentem desertumque a se nominat, non certe eum praecipuum scriptori fontem fuisse ac velut narrationis fundamentum cum Nissenio putaverim.

Nequaquam igitur commune mihi cum Nissenio in disjungendis examinandisque narrationis Taciteae partibus principium, nedum idem aut omnino tam certum judicium. Nam omnes, nisi de quibus contrarium argumentis firmetur, Taciti librorum partes vindicandas simpliciter Plinio Nissenius censet. Sed breviter singula pervestigemus.

Ac de primo quidem alteroque historiarum libro certiora pluribus locis Plutarchum de hac re suppeditare manifestum est; nec ultra deest suspicioni locus, qua ratione v. c. expeditionen Ligusticam (cf. hist. II, 12—15) auctori regionum incolarumque gnaro magna ex parte deberi facile credideris. Arctius deinde quam Nissenius statuit cum prioribus duobus librum tertium cohaerere, praeterquam quod ipsum initium respicit antecedentia, ex eo indicari puto, quod uno haec omnia consilio, priusquam ipsum adiret propositum Flavianorum principum historiam, quasi exordium scriptor composuisse videtur. Sane optime Tacitus per hoc spatium de factionibus Flavianis se praestat edoctum, quid Muciano, quid Antonio suo quisque studio faventes sive obtrectantes de variis agendi causis secretisque odiis scriptores tradiderint. Partem fluxisse e Plinio non absurde putaveris; cum vero inter haec mixta vel maxime partium studio discernenda susceperis quaedam Pliniana, proxima erunt, quae in odium Antonii Primi composita inveneris: cui cum Plinius direpturis permissam Cremonam objecerit, suspicionem certe movet, tanquam quidvis

aliud eidem homini vitio daturus fuerit (cf. Hist. III, 28). Eo ex loco si profusius velis concludere, potissima quaeque, quibus argui Antonium a scriptoribus Tacitus auctor est, ea Plinium inter alios respicere putaveris: quale ut diripiendam, ita incendendam etiam urbem militibus ab illo datam, quod Tacitus rejicit: „quae jam flagrabat.“ Plura hac via quamvis incerta progrediens persequare: contraria Plinio ut uno illo loco, ita plerisque et aliis Vipstano Messalae deberi credideris: tanquam is contra obtrectatores Antonium defenderit prodideritque, ut quae Hormum libertum, ita quae Mucianum ejusque administros incusarent refutatis quae invenisset „in gratiam Muciani composita“, qualia quae de secretis Antonii cum Vitellio pactis fremebantur ea quoque fortasse C. Plinio volgata; Muciani denique in morum descriptione bonis malisque juxta mixta ex adhibendo utriusque auctoris judicio quaesieritne justum Tacitus, incertius quam obscurum. Eximiam Antonii fortitudinem celeritatem constantiam proinde credideris Vipstano auctore praedicari ac Plinio perstringi vitia; qui parum etiam Vitellio pepercisse videtur, quem ebrium principatum inisse in Plutarcho legitur: qualia intendit augescitque Suetonius; qui „velle se pascere oculos“ praedicantem Vitellium atrocius alioque ac Tacitus loco exhibens eodem tamen ex fonte turpe hoc dictum ac probrosum pronuntianti hausisse videtur. Postremo ut quae in libro altero de Placentiae amphitheatro, ita probabili aeque conjectura ductam breviter e primordiis Cremonae municipii historiam (III, 34) doctae C. Plinii talia conquirendi industriae patriarumquae urbium celebrandarum curae vindicaveris. Ea quoque suspicio haud fortasse rejicienda est, in orationibus conformandis interdum Tacitum per hos libros figuras e Plinio traxisse quamvis ab illo alibi usurpatas. Haud fortuito Muciano Vespasianum ad capessendum imperium stimulanti eadem Tacitus verba, quae Plutarchus Vinio idem Galbae suadenti, dedisse videtur velut incitamentum acerrimum; quae sunt plena apud hunc: „τίνα τρόπον βουλεύεσθε; τὸ γὰρ ζητεῖν εἰ πιστοὶ μενοῦμεν οὐκ ἤδη μενόντων ἐστίν,“ brevia apud illum: „qui deliberant, desciverunt.“ Sine dubio in incerto haec omnia; ceterum vereor, ut firmioribus nitantur

argumentis quae inter Plinium Messalamque dispertiturNissenius. Equidem sicut, ubicunque plurium auctorum per pugnam Cremonensem mentio fit, Messalam comprehendi vel etiam prae ceteris respici concesserim, ita quae de voluntaria nuntii morte suspicatus Nissenius nulla de causa his duobus vel maxime auctoribus quasi de fama volgari inter se discrepantibus tribuit, ea arbitrio plane obnoxia esse puto. Nec magis — quod ultimum de libro tertio Nissenius disserit — affirmare ausim, pugnae nocturnae orientisque in ejus eventum lunae notitia unde Tacito venerit; ceterum de fide nihil dubitandum esse satis docte contra Mommsenium Nissenius demonstravit.

Restant quae e libris quarto mutilatoque quinto aperte connexis dirimere a ceteris tanquam natura Plinianis Nissenius conatus est. His libris quae continentur, primo aspectu in tres partes dividuntur: unum, quae motum Civilis, alteram, quae res Orientis, tertiam, quae cetera in publico gesta continet. Notabile videtur, de tertia quidem parte fateri tandem Nissenium, plane nobis deesse fontium judicium neque dubium esse, de senatus actionibus rebusque publice gestis quin uberrima undique materia sive legendo sive etiam recordando affluere Tacito potuerit. Ceterum senatus acta ut in annalibus, ita in historiis non neglecta esse a Tacito ex Plinii junioris epistula VII, 33 apparet. Equidem vel minus in hac historiarum parte inveniri Plinium, qualem ex Plutarcho et Suetonio se ostentans prioribus in libris facile reperiri potuit, ob id ipsum putaverim, quia, antequam transiretur ad res sub imperio Vespasiani pacato gestas, stetisse mihi videntur Plinii historiae. Nec tamen alterum opus ejus permagnum, quo „omnia, quae cum Germanis gesta erant,“ bella perscripserat, hunc terminum excessisse negaverim; sane hoc opus per seditionem Civilis secundum scriptoris utilitatem usui adhibitum a Tacito esse conjectura facillima est; nec ullo modo probare possum, quod Nissenius de historiis hic quoque conjectans Taciti affert locum ex annalium libro primo (c. 69), qui apertissime Germanica bella a Plinio conscripta, nec vero historias respicit.

Jam quaecunque his libris continentur de rebus Orientis

Judaeorumque gente, excerpta, adeo descripta e Plinii historiis Nissenius argumentari adgreditur. Concludere hoc sibi videtur e locis Taciti tribus cum naturali historia, uno cum Josephi bello Judaico collatis. Nam cum simpliciter antecepta conclusione Tacitea Plinio tribuat, nullo sane impedimento inde colligit, bis Plinium diverso modo extendisse, quae semel inventa notasset, Josephum autem, quatenus cum Tacito, i. e. cum Plinio, et ipse competat, eodem quo Plinium fonte usum esse. Sed quae multo integrior eoque veri similior est opinio, cur eam aspernemur? Prodiisse locos illos paulum inter se cognatos alteros ex alteris incredibile. Jam quid propius quam ut ex eodem fonte binos congruos manasse putemus? Nec, quin fuerit ille Licinius Mucianus, dubitaverim; cujus liber cur non tam Tacito quam Plinio seu Josepho adesse potuerit, non video; nec amplius mirum, quod aliter Tacitus, aliter Plinius ibi reperta transformavit suo quisque ingenio auctorem accipiens, qualia Tacitus de Sodomiti. Nec ultra singulare quicquam in eo, quod hic cum Plinio, illic cum Josepho Tacitus congruit; duntaxat sibi quisque trium scriptorum convenientia e Muciano elegit; nec Plinium usque Tacito substituere natura rei permittit, nedum necessitas cogat.

Paucis ad extremum temptanda ea Nissenii argumenta sunt, quibus de forma historiarum Plinianarum recentiore, qualis praesto fuerit et Plutarcho et Tacito, haud sane absurde conjicit. Nam duo loci Plutarchei, tanquam post Plinii senioris aetatem nati sint, speciem profecto praebent: quorum certe unum e Plutarcho ipso profectum vix credere possis. Sine dubio de altero ambigas, qui non tam dixerim cum Nissenio insignes laudes quam admirationem quietae Verginii Rufi senectutis continet (cf. P. G. c. 10). Volueritne scriptor sapientiae praeceptis imbutus, ut saepe doctrinam suam ostentat, ita hac occasione de fato hominum secretisque ejus causis suam sententiam exponere an Plinius junior, cum avunculi opus antequam ederet limaret, senis culti sibi amicissime fortunam praedicare, hoc non ausim discernere. Alterum vero locum (cf. P. O. 16) — quem Tacitus quoque exhibet — insertum esse operi paterno Plinii junioris cura facilius

credideris: ubi monetur ab Othone quasi praesagiente sororis filius, ne nimium patrui memor praepotentes inconsulte lacesseret: cui sub Domitiano ipsam illam memoriam intempestivam revera exitio fuisse Suetonius auctor est.

Ceterum amicitiam, qua conjunctum fuisse cum Tacito Plinium juniorem epistulae ejus satis declarant, meritam illi contigisse, nisi universam Nissenii moderaveris rationem, profecto negabis. Nam summam velut hanc totius disputationis Nissenius exprimit: fundamento fuisse Tacito universum Plinii opus, quod cum postea per annales tum antea priore historïarum parte ita repetiisset, ut, cum pauca adjiceret, plura corriperet, nihil fere nisi quae aptius conformaret ad novorum temporum rationem immutasset. Verum satis ex ipsis scriptis probare studui, quatenus haec sit arcenda sententia. Neque ea magis placere poterit, si rerum conditionem respexeris. Num potuit amicus, quae confecta erant labore et industria amici, ea ita oblivioni dare, ut vel perfido silentio dissimularet quem inde percepisset fructum? adeo adulationem ultro falsumque studium haud occulte amici scriptis objectaret? — quas quidem ambitionis illecebras anxie operis auctor se vitare professus erat. Potuitne talem in se avunculumque perfidiam ferre cauteque silere adeo adjuvare Taciti amicus? Certe epistulae, quas habemus a Plinio ad Tacitum scriptas, tempore inferiores spectant, ubi de historiis Taciti agitur, illarum libros, ubi jam nulla est Pliniani operis contagio. Sed quis non in eo offendat, quod tantopere coluisse videatur admiratusque esse Plinius quem fere totum quasi avunculi suisque humeris insistere sciret? quod ne verbo quidem homo satis alioquin vanus hoc tetigerit, cum ex magna parte, quae celeberrimus scriptor composuisset, eorum se ferre posset quasi auctorem suoque gloriari ingenio vel potissima illic orta? Quid denique obviam, quominus priores quoque historiarum libros, quamquam nihil sane nominatim de hac re traditum, missos a Tacito ad amicum, quos poliret corrigeret, arbitremur? Sane diuturnam quam fluxam hanc vicem amicitiae fuisse multo veri similius est. At non profecto, cujus operam Tacitus — ut Nissenius opinatur — non solum usurpaverat, sed etiam spernebat (cf. pag. 512), suam illius

emendationem emendandam ut illi remitteret, adeo pudorem exuere poterat. At quanto hoc incredibilius, tanto proprior certe ea est opinio, ipsam illam priorum illorum librorum speciosiorem cum Plinii imagine congruentiam, ubi vel nugas illius genusque scribendi interdum splendidum agnoveris, Plinii junioris operae deberi, qui loco talia maxime quaeque idoneo ex opere sibi edito repetierit. Nec enim aliud quicquam Tacitus sine dubio temporis spatium tam copiose lateque aut tractavit aut pro annalium suorum intentione tractare omnino potuit quam hunc annum 69mum, C. Plinii curarum, sicut supra conjecimus, fortasse ultimum. Non certe alias multum potuit esse commune libris triginta uno ne viginti quidem annos complexis cum ejusdem fere longitudinis opere, quod permagnam saeculi partem comprehendebat. Sed unius tam anni gravitati quam amico corrigere inserere gaudenti dedisse mihi scriptor videtur, ut uno saltem loco incepti operis brevitatem necessariam laxaret; mox deerat amico uberiora inserendi copia, quam certe operis paterni postremi libri praestiterant. Grata profecto amico talis esse debebat Taciti indulgentia; videbat enim non neglegi ab amico quae ipse e tenebris protraxerat, non sperni a scriptore clarissimo avunculi sui tradentis res posteris auctoritatem. Nec ullo modo abolevisse Tacitus opus illud putandus est, quod sicut erat sine dubio plane alios ac Tacitus poscebat atque expectabat lectores. Verum, quandoquidem obliteratae mature sunt C. Plinii historiae, ipsae se illius ambages cuivis et alii cessurae, non Tacitus Plinium, qua nunquam hic fortasse usus est, legentium oblectarique gaudentium frequentia depulit. Degustavit paulo extentius in primi sui operis exordio illius extrema; ceteris rebus cur magis illum quam quicunque eundem usum praestare poterant e scriptoribus temporum, quales Fabium Rusticum, Cluvium Rufum, aliorum multorum commentarios historias annales adhibuerit, neque causam ullam conspicuam neque argumentum satis firmum a Nissenio inventum esse existimo.

Tac. hist. II, 44.

Ex descriptione Tacitea pugnae Betriacensis facile, si Plutarchum comparaveris, complura eximes Pliniana levia profecto, cum per gravissima quaeque aliam Plinius aliam Tacitus relationem secutus esse videatur; ita congruunt, antequam ad ipsam pugnam ventum est, haec fere eorumque similia: Numida eques solutis Paulini moris in proelium duces agens, infaustum Othonianis pugnandi initium falso rumore perturbatis; — versante deinde narratione inter certantium imagines mutuus duarum legionum impetus Rapacis et Adjutricis, impeditum pugnandi genus, cetera hujusmodi — dissensione vel maxima inter utrumque auctorem, ubi primum agitur de certaminis discrimine: quod quidem Tacitus Batavorum cohortibus tribuit, quae fusis gladiatoribus latus Othonianorum invaserint, Plutarcho teste Plinius in praetorianorum fuga posuit; cum hic illud quale fuerit parum perspexisse, ille hoc pro incerto habuisse videatur. Redit deinde levis consensus, postquam, quo modo rem fortuna inclinaverit, diverse prodiderunt: perruptis victoribus Othonianos quosdam reditum sibi in castra patefecisse uterque narrat, deinde abruptiora Plutarchus, accuratiora Tacitus de ducibus Othonianis militum iram proditionem objectantium clam evadentibus, cum unum ex illis Vedium Aquilam comprehensum esse Tacitus memoret. Sequitur apud utrumque brevis Annii Galli oratio, quam cur nullo Plinii usu Tacitus expresserit, mirum sane videtur. Nam mitigantem Gallum ardentes militum animos Tacitus, consolantem velut tristes Plinius facit; quod utrumque in rem convenit. Sed quanto diligentior Tacitus est in ejusmodi vel oratiunculis exornandis, cur, quales apud Plinium invenire poterat solatii etiam causas maxime ad permulcendos rudes animos idoneas efficacesque, non eas Galli verbis adjiceret? Equidem cum talia potissimum Plinium Tacito suppeditasse putem (cf. supra pag. 15), ne hic quidem neglectum illum esse, si vitium librarii tollas, demonstrare velim.

Nam verba, quae capitis 44 fine continentur, sicut scripta sunt plurimas ineptias continent. Fremunt praetoriani non virtute, sed proditione victos se esse. Sed minime ad hoc

conveniunt, quae jam sequuntur quasi ab illis passim pronuntiata, ubi non se omnino victos esse nimium callide ut gregarii milites demonstrare videntur, nedum de proditione cladeque inde orta conqueri. Nec vero ullo modo crescente per totam orationem obscuritate extrema verba „et si ita ferret, honestius in acie perituros“ quidnam sibi velint, nisi quid mutaveris, explicabis.

Quare hanc medelam loco corrupto adhiberi posse puto: loco move verba quae sunt inter „ceteris“ et „fremebat“ eaque, cum una exstiterit oratio obliqua, post hanc suum locum tenuisse puta.

Nam quaecunque absurde praetoriani fremere videntur, ea aptissime ex Annii Galli consilio pronuntiari vel in oculos incurrit. Optime sic orationem ejus cohaerentem nanciscimur eandemque conditioni aptissimam. Assequi hoc vult contionando, ne, quandoquidem adversa evenerint, duces plectantur: quod primum inutile esse dicit concordiae saevientes admonens; penitus enim perverti mutuis caedibus, quos semel hostis afflixerit; deinde immerito quoque duces incusari persuadere indignantibus studet magnitudinem cladis dissimulans: „ne Vitellianis quidem incruentam fuisse victoriam etc.“ Eadem fere Galli apud Plutarchum sunt verba, sed consolandi tantum consilio edita: „Ἄννιος δε Γάλλος παρεμυθεῖτο τοὺς ἐκ τῆς μάχης συλλεγομένους ὡς ἀγχωμάλου γεγενημένης καὶ πολλοῖς κεκρατηκότας μερεσι τῶν πολεμίων.“ quae cum invenisset apud Plinium Tacitus amplificata exornata in suum consilium vertisse videtur. Jam acerbissima conclusio orationi imponitur obstinatos Gallo increpante, „si ita ferret“, si nulla rationis vi in suam ipsorum perniciem ruerent, honestiorem certe ruinam hostem invadentibus fore quam seditiosis discordibusque.

Finita Galli oratione jam scriptor, qualis ad eam excipiendam militum fuerit animus, aptissime breviter adjicit: quem fractum ceteris fuisse dicit; remansisse solis praetorianis scilicet fidissimis Othoni militibus illam ferociam, qua perfidiam ducibus objectare non desierint.

Ceterum, ut nullum fere supra diximus, ita ne hic quidem locus multo extentius Tacitum Plinio usum esse demonstrat quam Tacito Livioque — ut vel nostrae aetatis

exemplum afferam — virum doctissimum Peterum, qui totam Romanorum historiam diligentissime conscripsit.

Tac. hist. II, 66

cf. mus. rh.

Falso Nissenium, cum duas Vitellium cohortes praetorias propter sui favorem communi illarum missione excepisse ex Tacito probare sibi videatur, intellegere puto, quae libri II capite 66 Tacitus narrat. Nam postquam legio quartadecima Vitellio suspecta jussu illius una cum Batavorum cohortibus quasi illam coërcituris in Britanniam iter ingressa est, orta in municipio quodam inter utrosque rixa a duabus cohortibus praetoriis dirimitur, quae pro suo partium studio nequaquam abolito legionarios Vitellio infensos adjuvant. Dein Vitellius ut discordes separet, legionem citius removet, secum Batavos ducit. Nam cum scriptum sit: „proelium atrox arsisset, ni duae praetoriae cohortes causam quartadecimanorum secutae his fiduciam et metum Batavis fecissent: quos Vitellius agmini suo jungi ut fidos, legionem . . . . . ire jubet“, pronomine „quos“, praeterquam quod masculino genere usurpatum in „cohortes“ referri nequit, Batavos significari ex eo apparet, quod et fidissimos usque ad hoc tempus profecto hi Vitellio se praebuerant eumque illos postea a se removisse nominatim capite 69 memoratur, cum in patriam remitteret, quos propter injuriam omnibus auxiliaribus illatam jam omnium maxime metuebat. Sed quoniam „proximum Vitellio e praetoriis cohortibus metum fuisse“ capitis 67 initio narratur, causam fuisse ipsum illum duarum cohortium tumultum hostilem non absurde existimaveris; eoque metu omnes cohortes praetorias statim missas a Vitellio, novas sedecim postea (cap. 93) Romae conscriptas esse apertissime Tacitus narrat, cum de duabus e prisco numero retentis a Vitellio honoratisque, seu quod Othonem prodidissent sive aliam ob causam, ne verbum quidem prodat.